



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Ordo obseruandus circa eos, qui ab hæreticis aut Schismaticis sine vsitatis  
Ecclesiae Catholicæ Cerimonijs baptizati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

## Ordo baptizandi in firmum.

41

habet, omnia si quidem quæ in baptismo leguntur, & aguntur ex Christi & Ecclesiæ instituto ad viuos tantum pertinent.

Est & hoc studiosè obseruandum, quòd si infantem in necessitate baptizatum mortis periculum euadere contingat, tum ea, quæ prætermissa sunt supplenda esse, ita quidem vt in orationibus, adiurationibus seu Exorcismis præscriptis, quæ supplendæ sunt, quoties fit mentio doni seu gratiæ baptismi, id referatur ad gratiam vberiore[m] ampliore[m]que doni effectum reliquo vitæ decursu percipiendum, cum infantem legitimè baptizatum gratiam baptismalem consecutum esse dubitari non debeat. Idem de expulsion[e] Satanæ iudicium esto. Sicubi enim eius fit mentio, ad perfectiorem eius eiectionem Sacerdos intentionem suam referet, quando quidem regenerationis gratia, D. Augustino teste, quæ per sacrum lauacrum datur, vsque in finem vitæ cuncta mala purgat, & sanat.

XII.

*Aug. lib. i.  
de nuptijs  
concupiscen-  
tia cap. 28.*

**MODVS OBSERVANDVS**  
circa eos, qui ab hæreticis aut schismaticis sine  
vfitatis in Ecclesia Catholica, iam inde à  
temporibus Apostolorum cære-  
monijs baptizati sunt.



Voniam supra in documentis baptismum confe-  
rendi ordinè antecedentibus documento XXVIII.  
& XXIX. dictum est, eos qui in mortis periculo à  
laicis vel sine solennibus cæremonijs sunt baptizati, in Ec-  
clesiam

F

clesiam

42 **De his qui ab hæreticis baptizati.**

siam deportandos esse, vt ritus omissi suppleantur; ab hæreticis verò sine eorundem adhibitione tinctos ad idem præstandum non tam cogendos (quòd rituum ista suppletio non sit simpliciter necessaria) quàm bonis admonitionibus suauiter inducendos: sicubi talis quispiam à patrinis oblatus fuerit, sacerdos interrogato nomine dextro pollice crucis signum fronti eius imprimat, dicens:

**N. S**ignum crucis ✠ Domini nostri Iesu Christi in frontem tuam pono.

*Et in pectore.*

**S**ignum crucis ✠ Domini nostri Iesu Christi in pectus tuum pono.

*Oremus.*

**O**Mnipotens sempiternè Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum ( **hanc famulam tuam** ) **N.** quem ( **quam** ) ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cœcitatem cordis ab eo ( **ea** ) repelle; Dirumpe omnes laqueos Diaboli quibus fuerat alligatus ( **alligata** ) aperiei Domine ianuam pietatis tuæ, vt signo sapientiæ tuæ imbutus ( **imbuta** ) omnium cupiditatum foetoribus careat, & ad suauem odorem præceptorum tuorum lætus ( **læta** ) tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus ( **idonea** ) sit frui gratia baptismi

pti smi tui, quam recepit. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Hic nomine baptizati expresso; modicum salis benedicti in os eius mittat, dicens:*

**N.** Accipe salem sapientiæ, vt propitius tibi sit Dominus noster Iesus Christus in vitam æternam, Amen.

**Oremus.**

**D**Eus Patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor creaturæ, te supplices exoramus, vt hunc famulum tuum **N.** (*hanc famulam tuam N.*) respicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum salis gustatem non diutius esurire permittas, quo minus cibo repleatur celesti, quatenus sit semper Domine spiritu feruens, spe gaudens, tuo semper nomini seruiens. Et quem (*quam*) ad nouæ regenerationis lauacrum perduxisti, cum omnibus fidelibus tuis promissionum tuarum, & æternorum præmiorum, facias esse participem. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Oratio super masculum tantum.*

**D**Eus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui Moyfi famulo tuo in monte Synai apparuisti,

*De his qui ab hæreticis baptizati.*

ruisti, & filios Israël de terra Ægypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte; Te quæsumus Domine, vt mittere digneris angelum tuū, vt similiter custodiat hunc famulum tuum, vt teneat gratiam baptismi tui, quem percipit. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Super foemellam tantum oratio.*

**D**Eus cœli, Deus terræ, Deus Angelorū, Deus Archangelorum, Deus Prophetarū, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium benè viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum; te inuoco Domine super hanc famulam tuam **N.** vt eam ad baptismi gratiam perducere, & custodire digneris. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Oremus.*

**A**Eternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, luminis, & veritatis auctor, super hunc famulum tuum (*hanc famulam tuam*) **N.** vt digneris eum (*eam*) illuminare lumine

**De his qui ab hæreticis baptizati.** 45

lumine intelligentiæ tuæ, munda eum ( *eam* )  
& sanctifica, & da ei scientiam veram, vt ido-  
neus ( *idonea* ) sit frui gratia baptismi tui, quã  
percepit, teneat spem firmam, consilium re-  
ctum, doctrinam sanctam, vt aptus ( *apta* ) sit  
ad tenendam gratiam baptismi tui. Per Chri-  
stum Dominum nostrum, Amen.

**Sacerdos:** Dominus vobiscum.

**Minister:** Et cum spiritu tuo.

**Sacerdos:** Sequentia sancti Euangelij secun-  
dum Marcum.

**Minister:** Gloriatibi Domine.

*Quæ verba dum proferuntur signum crucis in fron-  
te, ore, & pectore infantis faciat.*

In illo tempore, offerebant Iesu paruulos, vt <sup>Marc. 10.</sup>  
tangeret illos, discipuli autem comminaban-  
tur offerentibus. Quos cum vidisset Iesus in-  
dignè tulit, & ait illis: sinite paruulos venire  
ad me, & ne prohibueritis illos: talium est e-  
nim regnum cœlorum. Amen dico vobis,  
Quisquis non receperit regnum Dei, velut  
paruulus, non intrabit in illud. Et comple-  
xans eos, & imponens manus super illos, be-  
nedicebat eos, Pax tibi.

## De his qui ab hæreticis baptizati.

Hic capiti baptizati manum imponat, & dicat symbolum Apostolorum cum oratione Dominica, & salutatione Angelica, idemque ut astantes faciant, moneat. Si baptizatus iam adultus ea sciat, ipse clara voce recitet.

**C**redo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli, & terræ. Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, Natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, Remissionem peccatorum, Carnis resurrectionem, & vitam æternam, Amen.

**P**ater noster qui es in coelis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in coelo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in ten-

in ten-

**De his qui ab hæreticis baptizati.** 47

in tentationem. Sed libera nos à malo, Amen.

**A**ue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

**Postea de salua sua Sacerdos accipiens pollice dextro tangat aures & nares, dicens:**

**Ad aurem dexteram.** Epheta, quod est, adaperire. ✠

**Ad nares.** In odorem suauitatis. ✠

**Ad aurem sinistram:** Tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. ✠

**H**oc loco Sacerdos baptizato reuocabit in memoriam, <sup>Admōtio.</sup> quo pacto per paternos Diabolo eiusq; operibus ac pompis abrenunciarit, nec non fidem in Deum Patrem, & in Iesum Christum filium eius, & Spiritum sanctum coram Deo, sanctis Angelis atque Ecclesia professus sit, proindeque det operam, vt quod alieno spondit ore, id reipsa præstet, diligenter apud animum suum reputans stultam promissionem Deo maximè displicere.

**A** dmo-



**De his qui ab hæreticis baptizati.**

*Admonitione præmissâ denudentur pectus & scapulæ baptizati, & accepto oleo catechumenorum*

*Sacerdos pollice dextro faciat crucem in pectore eius, dicens:*

**N. Ego telineo oleo ✠ salutis.**

*Deinde inter scapulas, similiter inter scapulas crucem faciens.*

**In Christo Iesu ✠ Domino nostro.**

*Mox subiiciat hanc orationem.*

**D**eus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, qui que tibi dedit remissionem peccatorum.

*Hic faciat chrismate crucem in vertice baptizati subiungendo.*

**I**pse te liniat chrismate salutis in Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam, Amen.

*Post hæc imponendo albam vestem capiti eius dicat:*

**A**ccipe vestem candidam, sanctam, & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Christi, vt habeas vitam æternam, Amen.

*Tandem porrigat ei Sacerdos cereum ardentem, dicens:*

**Accipe**

**Admonitio antebaptismum facienda.** 49

**A**ccipe lampadem ardentem, custodi baptismum tuum, vt cum venerit Dominus ad nuptias possis occurrere ei in aula coelesti, & viuas in saecula seculorum, Amen.

Quibus omnibus ex ordine peractis dimittat  
cum, cum his verbis:

**V**ade in pace ✠ fides tua te saluum (saluam) fecit.

**Ermahnung an die umstehenden bey der heiligen Tauff.**

**A**n dechtige vnd geliebte im Herrn / Es ist ein ernst vnd vberaus wichtig Werck / das wir allhie mit diesem Kindt verrichten sollen / wil von denselben Ew. L. zum eingang eine kurze Erinnerung thun. Wir werden alle in Sünden empfangen vnd geboren / bringen die Sünde mit auff die Welt / als einen angeerbten Schaden / der vns für Gott feindselig vñ abscheulich macht / Sind / demnach / wie wir durch die natürliche Geburt von Mutter Leib kommen / Kinder des Zorns / mit Stricken des Sathans zum ewigen Todt verhasst / in das elend sind wir gerathen / durch den Vngehorsamb vnser ersten Eltern im Paradeis / darauff vns auch niemand erretten können / den Christus Gottes vnd Maria Sohn / der Welt Heiland / der vns durch sein Leiden / Todt vnd Blutvergiessen zugleich von der Sünde / von Gewalt des Sathans / vnd von ewigen Todt erlöset hat. Auff das wir aber seines Todts vnd Bluts / damit wir erkaufft / zur Seligkeit theilhaftig

Admonitio baptismi  
præmittenda pro temporis & personarum ratione futuræ aut contractiuræ.

3

haftig